Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36533
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

deservirent. Quid ad haec nos episcopi dicimus qui commissis nobis verba vi-
te impendere non curamus. quando coniugatum virum prohibere non valu-
it a butyro praedicationis vel saecularis habitus. Virtus est magna occupa-
tio facultatis. Sed servata veritate historiae ad sanctae ecclesiae iam verba
redeamus. quae per beatum iob id est per os membri sui loquitur. quanta sint
quae tempore extremo patietur. cum transactorum suorum reminiscitur. (quando) sup-
petram videlicet verbi pinguedine operantium vita laborat (lavatur). quae ipsam
quoque praedicatorum suorum vigilantiam plenius exsequens subdit. Ex
petra fundebat michi rivos olei. Quia petrae nomine Christus accipitur.
praedicator egregius fatetur dicens. Petra autem erat Christus. Quae vide-
licet petra ad usum ecclesiae sanctae olei rivos fundit. quia in ea loquens
dominus praedicamenta unctionis intimae emanat. De hac petra olei ri-
vus exiit. liber mathei. liber marci. liber lucae. liber iohannis. Indi-
versis huius mundi partibus quot praedicamenta edidit. tot petra haec
per ora apostolorum omnium rivos fundit. Tociens adhuc de petra hac ri-
vus olei funditur. quotiens sancto spiritu unguendis mentibus auditorum
ea quae in libris veteribus de Christo dicta sunt explanantur. Rivi vo-
cantur olei. quia decurrunt et unguunt. In quibus quisquis tin-
guitur unguitur. quisquis tinguitur interius inpinguatur. De qua nimi-
rum pinguedine psalmista ait. Sicut adipe et pinguedine repleatur
anima mea. Potest nomine olei ipsa sancti spiritus unctio designari. De
qua per prophetam dicitur. Conputrescet iugum a facie olei. Iugum quippe
a facie olei conputrescit. quia dum sancti spiritus gratia unguimur. a captivi-
tatis nostrae servitute liberamur. dumque maligni spiritus dominatio sup-
ba repellitur. iugum conteritur. quo libertatis nostrae colla premebantur.
De hoc loco (oleo) rursus scriptum est. Vinea facta est dilecto meo in cor-
nu filio olei. Filius quippe olei fidelis populus dicitur. quia ad fidem
dei interna eius sancti spiritus unctione generatur. Multis ergo tunc sancta ecclesia
tribulationibus depressa. dona spiritus et mira quae nunc habet praedi-
camenta ad memoriam revocet. et suum silentium deploret dicens.
petra fundebat michi rivos olei. Quibus verbis congrue subi-
citur. quando procedebam ad portam civitatis et in platea parabant